



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Vlysses typus Religiosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Tres scilicet exitiales honestatis pestes: *Gula, inertia, Luxuria.*

(g). Quod autem Sirenes ab Vlyssæ sprete in mare sese immerferint, indicatur, quantum valeat actus virtutis heroicus unus. Vna namque victoria de hoste strenuè relata facit ipsum timidiorum ad novos insultus; imò sic debilitat & frangit, ut non audeat in certamen redire. Et plerumque si primos libidinis motus cordatè represseris, posteriores languidiùs incurunt. Et quid aliud significant aures Sirenum cantibus obseptæ & oclufæ, quàm primis tentationum illecebris oculos atque aures tam corporis quàm animi non esse aperiendas?

VI. (h) PP. nostri Belgæ in *Imagine Societatis* Castitatem Religiosam voto adstrictam ingeniosè per Vlyssæ ad malum navis religatum, & aures manibus admotis obsepientem exprimunt, frustra circa navigium ludente Sirenum choro; cum lemmate,

---- canitis surdis, canitisque ligatis.

Vltimi versus epigrammatis hi sunt.

Vincula vota mihi, crux malus, Typhis JESUS,
Pro pelago lacrimæ, pro statione Deus.

Anchora Spes, Cor, acus, velum Suspiria, clavus
Firma Fides, ventus Gratia, remus Amor.

VII. (i) Orphei cantum adversùs Sirenum blanditias prævalentem, disertissimus Muretus eleganter accommodat ad sapientes juventutis litterariæ institutores. Placet ejus referre verba: Memoriae proditum est, Jasonem olim, cateròsque Argonautas cum eam insulam, quæ ab amicitate, florùmque copia nomen invenerat, præternavigarent, periculùmque esset, ne molli ac delicato Sirenum cantu, quæ eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse; qui cum esset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, quæ feras nemoræque traxerat, explicare capisset, tanta simul aures, animòsque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicant? Florida videlicet illa insula, Juventus est. Eam qui quasi prætervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditijs decepti, & à recto tramite abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparandum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis Lyra? cujus suavitatem

(g) Primis tentationum illecebris resistendum. (h) Vlyssæ allegorici adversùs Sirenes Victoria. (i) Litterarum profusio Sirenum cantus spernuntur.